

EXAMEN CENSURÆ

vocatur, prout nunc à nobis legitur, dubitari non injuria possit, imò credi penè debeat id ab Apostolis ipsis, aut Apostolica autoritate scriptum non fuisse: tamè Remonstrantes, ut quanto in pretio illud habeant, declararent, totum illud, tanquam formulam, in quam univèrsus consentit Christianismus & meritò quidem, declarationi suæ inferuerunt. Quod verò Censor addit, *se non satis intelligere causam, cur id Remonstrantes fecerint*, id ex eo est, quod præjudicio plenus, pessima quæq; de Remonstrantibus, etiam sine ulla manifesta ratione credere malit, quàm rationi cedere, aut quicquam eorum benigne interpretari. Patet hoc clarissimè in censura sequētis commatis, ubi, quod *de Analogia fidei hic illic recepta* à Remonstrantibus additum fuerat, suspicione infamat, tanquam si de analogia fidei simpliciter dictum fuisset. Particula ista, *Hic illic recepta*, satis arguit de qua analogia isthic loquantur Remonstrantes. *Si per Analogiam fidei intelligant Remonstrantes*, inquit, *sane doctrina proportionem ac convenientiam, quæ ex indubitatis constat S. Scripturae axiomatis, & evidentibus fidei principijs, tum verò censura digni sunt Remonstrantes*. Quasi verò quisquam tam sit exsensæ mentis, aut usq; adeò ab omni ratione alienus, ut tale quid per analogiam fidei *hic illic receptam* indicari vel per somnium suspicari possit. Quis huiusmodi judicia expectet ex Academia, aut à pileatis Doctoribus?

Analogia, Fi-
dei.

AD CENSURAM CAPITIS SECUNDI.

De cognitione essentiæ seu Naturæ divinæ.

IN *Sectione I.* cum dicit Censor, Remonstrantes quando statuunt *Religionem Christianam totam in recta unius veri Dei, & quem ille misit, Iesu Christi mediatoris cognitione, &c. consistere*, Iesum Christum, ut Mediatorem, Deo Patri uni vero Deo opponere; utiq; non censet Remonstrantium confessionem, sed Scripturam, cuius ea sunt ipsissima verba, Joan. xvij. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant unum illum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Cui infinita alia loca addi possunt, imprimis quæ in principiis Epistolarum Apostolicarum occurrunt. Alterutrum det Censor, Aut Scriptura, cum ita loquitur, opponit Iesum Christum mediatorem Deo Patri, aut non: Si opponit, cur, si idem faciunt Remonstrantes, id iis vitio vertit? Si non opponit, cur à Remonstrantibus id fieri dicit, quando

Censetur hic
ipsa Scriptura
non, a. Con-
fessio Remon-
strant.